



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXXII. De Officio Ivdicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

beant. Alioquin Episcopi ab ingressu Ecclesiæ, alij verò ab officio & beneficio tamdiu suspensi manent, donec acceptum restituerint. Excipitur tamen, nisi Prælatis, aut alijs personis ex speciali privilegio, aut legitime præscripta consuetudine, aut alia rationabili causa ius cõpetat redditus beneficij vacantis accipiendi: Id verò ita intelligi debet, vt ante omnia deducantur debita, necessariæ item expensæ, aliæque onera beneficio incumbentia.

SUMMARIUM.

1. Mortuo Prælato, aut Beneficiato, fructus ab ipso collecti, & qui vacante Ecclesia, aut personarum percipiuntur, in eiusdem ecclesiæ, aut personarum utilitatem, vel futuro successoribus cedunt, aliud est de fructibus à beneficiato collectis.
2. Bona alicuius censeri debent, deductis debitis; annui autem proventus, deductis expensis necessarijs, & præstandis oneribus.

NOTANDUM I. Mortuo Prælato, aut beneficiato, fructus ab ipso collecti, &

qui vacante Ecclesia, aut personarum percipiuntur, ad eiusdem Ecclesiæ, aut personarum utilitatem conuerti, vel futuro successoribus referuari debent. Sed quod attinet ad fructus à beneficiato collectos distinguendum est, cum Petr. Ancharano hic: Vel beneficiatus habuit tantum administrationem reddituum, qualem habere solent Episcopi, & aliarum Ecclesiarum collegiatarum Prælati, tum indistinctè seruari solet, quod in hoc c. dicitur. Vel beneficiatus habuit dominium reddituum, sicuti Parochi, Canonici, & similes beneficiati habent: tum variæ sunt ecclesiarum consuetudines. Quibusdam enim locis liberè testantur de Ecclesiasticis redditibus, quos collegerunt; imò ijs ab intestato morientibus proximi consanguinei succedunt. *Qua* de re dixi in lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 3. q. 1. Alijs locis Episcopus huiusmodi redditus accipit: quod per consuetudinem licitum esse potest, vt ex hoc c. constat.

NOTANDUM II. Bona alicuius censeri debent, deductis debitis; & proventus annui æstimantur, deductis necessarijs expensis, & præstandis oneribus, l. fructus, 7. ff. soluto matrimonio.

TITVLVS XXXII.

DE OFFICIO IVDICIS.



Ostquam de Iudicibus tum delegatis, tum ordinarijs dictum est, subiicit Compiler tit. de Iudicibus in communi, imitatus nimirum ordinem ff. veteris, in quo post specialium Magistratum ac delegatorum Iudicum officia, agitur in communi de omnium Iudicum iurisdictione, lib. 2. tit. 1.

CAPITVLVM I.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Controuersia orta erat inter Abbatem ac Conuentum Fossæ nouæ, & Abbatem ac Conuentum Monasterij Canensis, super

Yyyy 3

per

per quibusdam possessionibus Monasterij S. Petri, quod erat subiectum Monasterio Fossæ nouæ. Sed quia pars ista Aduocatum habere non poterat, officium Archiepiscopi implorauit: Is Magistrum Romanum Clericum suum constituit ad patrocinium in causa illa præstandum. Sed Stephanus Canensis Monachus se opposuit excipiendo, quod is esset domesticus Iudicis delegati, vid. Archiepiscopi. Hæc oppositio cum ad Sedem Apostolicam perlata esset, respondet Honorius III. ea nihil obstanti in negotio procedendum esse.

SUMMARIUM.

1. Monasterium agere potest pro iuribus ac possessionibus Monasterij sibi subiecti.
2. Ad officium Iudicis pertinet, ut prouideat Aduocatum Parti, que habere eum non potest. Et si pauper sit, etiam gratis ille patrocinari debet.
3. Prouidendum ab eodem, ut equalitas sit inter Aduocatos, ne pro vna parte peritissimi, ex altera rudes & minus versati constituantur.
4. Religiosus in causa sui Monasterij, iubente Prelato, potest esse Aduocatus, vel Procurator.
5. Subditus, vel familiaris Iudicis potest esse Aduocatus partis litigantis, nec recusari debet.
6. Testis produci potest ex domo Iudicis ad instantiam partis. Is tamen tantam fidem non meretur, si Iudex ex officio procedat.

NOTANDVM I. Monasterium agere potest pro iuribus ac possessionibus Monasterij sibi subiecti: quemadmodum Episcopus agere potest pro iuribus Ecclesiæ sibi subiectæ, vti colligitur ex c. sancimus, 21. iun. Gl. ver. Episcopus, C. de sacros. Ecclesijs c. vlt. de success. ab intestato, iun. Gl. magna, & tradit hîc Abb. n. 1. Aded, vt si Ecclesiæ parochiali v. g. quippiam iniuste ademptum sit, cùm Parochus seu Rector,

tum etiam Episcopus actionem instituere possit. Vide quæ dicam in tit. de iudicij.

NOTANDVM II. Si pars litigans Aduocatum idoneum habere non possit, ob paupertatem, iudicij imbecillitatem, Aduersarij potentiam, aliâque causam, Iudex (siue is ordinarius sit, siue delegatus) ex officio illi prouidere debet, l. 1. §. ait Prætor, ff. de postulando, l. nec quicquam, 9. §. Aduocatos, ff. de offic. Proconsulis, l. prouidendum, 7. C. de postulando. Et hoc casu Aduocatus compelli potest ad causam suscipiendam; alioquin, nisi iustam excusationem adferat, munere aduocandi priuandus, cit. l. prouidendum. Non tamen gratis officium suum præstare tenetur, sed cõstituto salario, quod clientulus hodie dare solet, cum olim ex publico Aduocatis salaria statuta essent, vti Gl. monet in cit. l. Vide l. 1. §. Honorarijs, ff. de varijs, & extraord. cognitionibus, ex c. vlt. 14. q. 5.

Sed quid, si clientulus pauper sit, qui salarium dare non possit, aut ægerimè possit, debetne gratis patrocinari Aduocatus, & ad hoc à Iudice compelli? Ita affirmandum cum Gl. hîc ver. implorando, Hostiensis, & Abbate hîc n. 5. Imola n. 6. Syl. ver. Aduocatus, q. 16. Idemque de Medico dicendum esse monet Imola, n. 7. si inops, qui curatione indiget. Idque manifestum est ex charitatis, ac misericordiæ lege.

His adde, quod in cit. l. prouidendum præcipitur Iudici, vt attendat, ne pro vna parte peritissimi Aduocati sint, ex altera rudes ac minus versati: Sed in iudicantijs officio sit, vt par causidicorum distributio fiat, & exæquetur paribus auxilium. Ad id verò Iudices parum attendere solent; quamuis deberent, si inæqualitas nimia sit, præsertim ob vnius partis potentiam.

NOTANDVM III. Religiosus in causa sui Monasterij, iubente Prelato, potest esse Aduocatus, vel Procurator, vti etiam dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 26. n. 12.

NOTANDVM IV. Subditus, vel familiaris Iudicis potest esse Aduocatus partis litigantis; neque ob eam causam recusari debet.

Si obijciat: Iudex vt suspectus recusari potest, si sit dominus partis litigantis, c. causam, 17. e. insinuante, 25. de offie. delegati: Ergo recusari etiam potest, si sit dominus Aduocati. Respondetur neg. conseq. Nam causa magis pertinet ad partem litigantem, quam ad Aduocatum: quare maius periculum est subuertedi iustitiam Iudicis, si pars litigans sit familiaris Iudici, quam si Aduocatus sit. Fatentur enim Hostiensis, & Abb. hic n. 6. Imola n. 9. Si Aduocatus verus perpetuo assisteret Iudici non satis eordato, sed deceptioni atque affectioni obnoxio, iustam esse posse causam recusandi Iudicem.

Sed potestne testis produci ex domo Iudicis? Respondet Abb. hic n. 6. Vel Iudex procedit sua sponte, seu ex officio, tunc testis ab ipso productus ex familia sua, non tantam fidem meretur, vt alius quispiam: Vel Iudex procedit ad instantiam partis, tum nihil refert, ex illius domo seu familia testes produci.

CAPITVLVM II.

Iudicis.

PARAPHRASIS.

Cum Iudicis officium, loco actionis imploratur, vt cum restitutio in integrum principaliter imploratur, tum litis contestatione opus est: Si autem incidenter tantum ante, vel post ingressum causae, Iudicis officium imploratur, tum litis contestatio non requiritur.

SUMMARIVM.

1. Duplex est Iudicis officium, mercenarium & nobile: & hoc iterum duplex, interdum enim Iudex motu proprio, & ex merito officio procedit, interdum autem a parte, v. g. laesa, eius officium imploratur.
2. Dicitur non inter actionem, & imploratio rationem officii.

3. Cum imploratur Iudicis officium nobile, principaliter contra certam personam, & cum causa cognitione, si litis contestatio, secus contingit in mercenario.

Pro intellectu aduerte, quod duplex sit Iudicis officium. Vnum actioni deseruiens, quod mercenarium dicitur, quia illud impartiri Iudex non potest, nisi praecedente actione, per quam petitur, quod sibi ab altero debetur, vt explicauit lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 5. n. 7. Aliud vero est Iudicis officium per se stans, & actioni non alligatum, quod & nobile appellatur. Id vero duplex est: Nam interdum Iudex a partibus non adactus, nec rogatus, motu proprio, & ex merito officio suo procedit, v. g. ad inquirendum, & crimina punienda. Interdum vero procedit, quia a parte, v. g. laesa, eius officium imploratur: Et hoc casu imploratam officium instar actionis est. Differunt vero actio, & imploratio officij: Nam actio supponit ius ex parte agentis, & debitum seu obligationem ex parte eius, contra quem actio tendit, Instit. de actionib. in princ. At vero qui Iudicis officium implorat, ius proprie nullum praetendit, sed aequitatem, propter quam Iudex succurrere potest, & quandoque debet. Quamobrem haec officij imploratio extraordinarium remedium censetur, alias non instituendum, nisi cum ordinarium actionis remedium deficit, arg. l. in causae, 16. ff. de minoribus, & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 11. princ. Videri potest Bartol. in l. 1. n. 10. ff. de iurisdiet. omnium Iudicum, Durand. in speculo, tit. de officio omnium Iudicum, §. 2. Imola hic col. 1. Abbas n. 2.

His intellectis, duae ex textu nostro doctri-
ne notandae sunt. Prima. Si officium Iudicis principaliter imploratur contra certam personam, & necessaria sit cognitio causae, tam post exhibitum libellum, fieri debet litis contestatio. Aduerte, quod dico, si contra certam personam, a qua aliquid petitur. Alioquin enim, si Minor natus, v. g. petat se restitui, quia laesus est ex hereditate adita, a qua abstinere mauult, opus non est litis contestationis.

testatione, vti colligitur ex Auth. si omnes, C. si minor ab hereditate absteineat, & docet Gl. hic ver. pro actione. Deinde dico; Si necessaria sit cognitio: Nam in causa notoria, vt si filius à patre alimenta petat, non est necessaria litis contestatio: sed de plano procedendum est, iuxta l. nec quicquam, 9. §. de plano, ff. de offic. Proconf.

Altera. Si officium Iudicis, ante, vel post litis ingressum, seu contestationem, incidenter imploratur, necesse non est, vt ideo litis contestatio instituat. Exemplum prio-

ris: Si quis ante litis contestationem petat Aduocatum sibi à Iudice dari; vel ex parte aduersa amoueri, iuxta ea quæ dixi c. præced. Exemplum posterioris: Si quis post litis contestationem, aut etiam post sententiam latam pars alleget errorem facti, per quem necessariam probationem intermisit, ad quam proponendam rogat se admitti Iudicis officio, iuxta c. 3. de in integr. restitut. Videri potest Durandus in cit. §. 2. Abb. hic n. 5. & 10.

TITVLVS XXXIII. DE MAIORITATE ET OBE- DIENTIA.

Dosteaquam de Ecclesiasticorum Ministrorum ordinatione, officijs, ac potestate dictum est, subiungitur hic tit. ad ostendendum, inter illos non esse honoris ac potestatis æqualitatem, sed subordinationem; vt alij maiores ac digniores sint, alij minores, ac subiecti. Quem admodum enim in cælesti hierarchia inter Angelos, & Archangelos, & superiores potestates ac virtutes, quidam ordines, & gradus reperiuntur, ita similiter, in hierarchia, siue bene à Christo fundata & ordinata Ecclesia, vti habetur in c. vii. d. 89.

CAPITVLVM I

Cùm certum.

Honoris prærogatiuâ alios antecedit, qui prius canonicam in Ecclesia ordinationem accepit. Hæc honoris prærogatiua, quæ Ministris Ecclesiæ antiquioribus (non ætate, sed secundum tempus ordina-

tionis, institutionis suæ debetur) consistit in prioritate sessionis, processions, subscriptionis, responsionis conuentualis &c. Ita enim meritò obseruari solet, vt inter Parochos, aliòsque Sacerdotes, Canonicos, ac Religiosos Professos, si cæteroque pares sint in ordine ac gradu, reliquos antecedant, qui prius instituti, aut Ordinem professi sunt. Idem quoque inter seculares Congregationes obseruatur, v. g. Consiliarij, Assessoris in eurijs Principum; Professores, & Magistri in Academijs, prout quisque eorum ante, vel post alios institutus, vel creatus est, locum inter eos sibi vendicet: Siquidem hoc cōducit ad multas lites euitandas. Quod si verò contingat, eodem tempore institutos esse, qui cæteroque etiam ante gestis officijs pares sint, tum ætati meritò deferendū erit. Qua ratione inter nobiles & illustres eiusdem gradūs personas quibusdam regionibus receptum, vt in conuentibus ac congressibus maiores natu antecedant.

Ratio horum reddi debet: Quia honor maior in republica ijs debetur, qui & plus meriti, & sapientiores peritioresque sunt. Sed